



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Governatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§. 7. Diuitias esse occasionem damnationis, quia faciunt immisericordes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

animam à Pluto ad Plutonium transmisit. go Chri-
stian. c. 7.
§. 2.
Sic opes à Deo dispensatæ, benefactori se-
gratas præstant, quando mentes humanas
inebriauerunt.

§. VII.

*Diuitias esse occasionem damnationis, quia fa-
ciunt immisericordes.*

Altera causa hinc emergit, quòd, sicut
beati sunt misericordes, quoniam misericordiam Matth. 5.
7.
*consequentur; gerit enim se Deus erga homi-
nem, sicut homo erga proximum se gerit;*
ita vicissim, immisericordes, qui pauperes
non exaudiunt, nec ipsi à Deo exaudiuntur.
Faciunt autem diuitiæ immisericordes, quia
qui ipsi non sunt miseri, nesciunt, quod non
fentiunt; hinc plerumque miseris non suc-
currunt. Quare nec ipsi digni sunt, quibus
succurrat Deus. *Ideo rogans diues non exau-
ditur in tormentis,* ait S. Hieronymus, *quia*
rogantem pauperem non exaudiuit in terris. D.
Augustinus epulonis illius damnationem,
quodam loco, huic soli causæ ascribit, dum
ait: *Quamuis superbus diues, qui induebatur*
*purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendi-
de, mortuus apud inferos torqueretur: tamen*
*si pauperis ulcerosi, qui ante ianuam eius con-
tomtus iacebat, misertus fuisset, mereretur &*
ipse

S. Hiero-
nym. ho-
mil. de
diuite.

S. Augu-
stin. ep.
89.

ipse misericordiam. Et si pauperi illi meritum, esset inopia, non iustitia, non utique ab Angelis in Abraha gremium, qui diues hic fueras, tolleretur. Sed ut nobis ostenderetur, nec in isto paupertatem per se ipsam diuinitus honoratam, nec in illo diuitias fuisse damnatas: sed in isto pietatem, in illo impietatem suos exitus habuisse: sic suscepit impium diuitem cruciatus ignis, ut tamen pium pauperem susciperet sinus diuitis. Damnatus est ergo diues ille, non propter diuitias, sed quia diuitiæ ab illo non sunt adhibitæ ad misericordiam exercendam: quæ plerumque quò habentur ampliores, eò habentem magis incendunt faciuntque intemperantiùs pecunias sitientem. Quanto autem magis amantur, tantò ægrius dispensantur. Hinc sunt earum possessores minùs liberales, magisq; duri ac immiseri cordes, dignique, qui nec ipsi misericordiam consequantur, sed sine misericordia è medio tollantur.

§. VIII.

Anari liberalitatem suam retractantis subita poena.

Baron.
to. 7. An.
553.

Recitat Raderus noster ex Menæis Græcorum, quin & Cardinalis Baronius ex Cedreno luculentum exemplum, de viro copioso,